Q. D. B. V.

DISPVTATIO JVRIDICA

DE

DELICTIS PRO AMICO,

Quam

Annuente ſupremo Numine

IN

INCLYTO GEDANEN. ATHENÆO,

PRÆSIDE

DN. JOHANNE SCHULTZIO

J. U. D. EJUSDEM ET HISTOR. P. P.

UT ET DICTI ATHENÆI INSPECTORE,

FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO,

IN AUDITORIO MAXIMO,


Horis matutinis

Anno M. DC. LXXXIX. D. VI. Octobr.

Solenniori Disquiſitioni exponet

HEINRICH Ehrenfried Schumann/

Gedan.



GEDANI,

Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII. 1698.



PRÆCOGNITA GENERALIA.
DE
DELICTIS PRO AMICO.
CONSPECTUS.

§. 1. An delicta pro Amico committi possint? Resp. Neg. de jure interno: An vero commissa mitigationem pœnæ mereantur? Resp. Aff. de Jure Externo. §. 2. Non tamen omnia delicta, nec semper eandem merentur. §. 5. Sed certa tantum aut certo respectu observato. §. 4. Causa consistit in infirmitate animi insoperabili, ad quam refertur etiam Amor intensissimus. §. 5. An etiam illicitus Amor? Neg. & limit. §. 6. Quid de Approbatione delictorum ex amore derivata?

§. 1.

OMissis Generalibus illis Præcognitis de rationibus mitigandi Pœnas in Delictis, jam à Tiraquello & Farinacio *Tract. de Pœn. temp. aut rem.* fusissime explicatis, specialius illico materiæ nostræ scopum aggredimur, tractaturi nimirum, *an*

Delicta pro amico committi possint, eaque commissa an Remissionem aut ad minimum Mitigationem Pœna mereantur. Quæstionis istius membrum prius *à Jure interno*, posterius verò *ab Externo* Decisionem suam trahat oportet. *Juris interni* ratio Delictis committendis nullum jus concedit aut Potestatem, quin potius ab iisdem dehortatur, & abstrahit. Major enim Honestatis habenda est ratiò quam amicitiæ, adeoq; istius respectu illam violari non debere innuit rectæ rationis Dictamen. Grot. *L.1.c.2.d.1.n.3.* & Panormitanus in *C. repellantur in 2. not. de accus.* Nec obstat bonum intendi finem; qui Actum moraliter turpem bonum reddere nequit. *Non enim mala sunt facienda ut bona exinde eveniant*, S. ut Jus Canon. id exprimit; prætextu boni mala non esse facienda c. *Ex tuarum 2. X. de sortilegiis c. 4. X. de Usuris* Vana itaque fuit persuasio Zelotarum, qui mentiendo propter bonum finem se multum Gratiæ apud Deum mereri crediderant. Thuan *Histor. L. 95.* Sed de *Externi Juris ratione* circa impunitatem concedendam ita Tiraquellus. *Fateor*, inquit, *ipse non esse peccandum propter amicum, si tamen peccatur, ob id solum ut Saluti ejus consulas, non tam severe id Peccatum esse puniendum censeo quam si extranei causa id ipsum admiseris. Tr. de Pœna Temp. & mittig. C.22.n.89.* Ex his jam *juris interni* & *externi* concursus elucescit in eodem actu. Qui in se malus est, Excusationem tn. aliquam & impunitatem habere potest. *Idem in Præf. n.56.*

§. 2. Sed ne latissimum ita Delictis pandamus campum, certis Limitationibus Affirmativa concedendæ impunitatis vel mitigationis circumscribenda erit. 1) Excluduntur itaque Res moraliter turpes, & nullo casu concedendæ, hinc Rei turpis non dari Mandatum asseritur in

l. 26.

l. 26. & seq. ff. de V. O. Pac. cent. 7. Qu. 28. Mant. Tit. 13. n. 21. Turpes v. Res tales hic intelligimus, (1) quorum Actus non sunt in potestate nostrâ siti adeoque nullo Necessitatis casu admitti possunt, id quod exemplo v. c. quæstionis illius abunde constat. An *Virgines Respublica stupro tradere possit*, ad liberandam obsidionem! Negaturque *id â D. Beem. Lin. Doctr. Mor. c. 9. th. 11. p. 157.* cum sit actus extra Potestatem positus: *plura exempla sequentibus.* (2) quæ cum læsione alterius injusta conjunctæ sunt, adeoque formale delicti, dolum sc. in se continent. Nam si hoc desit, materiale peccati pœnam plane excludit. Unde Augustinus *de Libero Arbitr. l. 1. c. 4.* scribit. *si Homicidium est, Hominem occidere, potest aliquando occidere sine Peccato, nam & Miles Hostem, & judex vel Minister ejus nocentem, & cui forte invito atque imprudenti Telum de manu fugerit, non mihi videntur peccare, cum Hominem occidunt: sed nec etiam Homicidæ isti appellari solent:* id quod Gratianus *in c. 41. caus. 23. Qu. 5.* retulit. Vox itaque Homicidii hic tantum Vitium involvit non v. Res ipsa s. occisio quæ expediri aliquando sine Peccato potest. *Grot. L. 1. C. 1. d. 8. D.* 6. Nec obstat Homicidia, furta, etiam inter turpiter moralia referri *per l. 27. ff. de V. O.* Ita est ratione formæ non materiæ. Nam & juste aliquando quis occidi potest, & invito alicui juste auferri. Grot. *d. l.* II) Excluduntur tales actus quibus major inest Turpitudo quam commodum, quod exinde resultare possit amico. Ita Cicero de amicitia: *Si qua fortuna acciderit, ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint, in quibus eorum aut Caput aut Fama agatur, declinandum est de Via, modo ne summa Turpitudo sequatur.*

§. 3. Delicta igitur talia huc trahimus 1) quorum actus aliquando in potestate nostra positi sunt, & urgente Neces-

ceſsitatis caſu Diſpenſationem merentur, & quorum materiale nullnm includit vium morale. 2) Quibus non major ineſt Turpitudo & Damnum quam exſurgens Commodum. Verum circa hæc Delicta illud hic imprimis attendendum erit, ut quis in ipſo peccandi Momento ignoret facti Turpitudinem, infirmitate aliqua præventus, non v. qui, dum patrat Crimen, iſtius Criminis Turpitudinem agnoſcit. Infirmitas v. illa animi judicatur ex apparentis alicujus boni appetitu, ex Dolore, Ignorantia Circumſtantiarum, Ebrietate, Furore &c. *l. 6. ult. ff. de Re milit. Conf. Farin. Qu. 19. Clarus §. fin. qu. 69. Carpz. 146.* Grot. *L. 2. C. 20. §. 29.* & Tiraquel. *Cauſ. 5. 6. & ſeq.*

§. 4. Ad hanc Infirmitatem animi refertur *Amor intenſiſſimus*, qui aliquando ſtimulos Conſcientiæ ſuffocat, adeo ut ex Infirmitate inſuperabili tunc quis lapſus mereri Pœnæ Mitigationem videatur. Infirmitatem hic poſuimus in ipſo actu inſuperabilem. Nam quæ ſuperata eſt h. quando quis in momento peccandi ſcit ſe enormiter peccare, nulla erit amoris in amicum excuſatio: Ita Quintilianus *Decl. 271. Non omnia neceſſe eſt facere Liberis quacunque Patres imperant: Multa ſt. quæ fieri non poſſunt: Si imperes filio ut Sententiam dicat contra, quam exiſtimet: Si Teſtimonium jubeas dici ejus Rei quam ignoret: Si ſententiam in ſenatu: Si Capitolium me incendere jubeas: arcem occupare; licet dicere: Hæc ſunt quæ fieri non oportet.* Confer Grot. *de I. B. & P. L. 2. c. 26. §. 3. n. 2.* Inſuperabilis v. præſumitur Infirmitas animi in Amore licito, qui aliquem parendi commendat nexum. Ita Servum nihil deliquiſſe ait Ulpianus, *qui Domino jubenti obtemperavit l. 2. §. 1. ff. de Noxal. action. &* velle non creditur qui obſequitur Imperio Domini vel Patris *l. 4. ff. de R. I.* & ibi Cujac.

Et

Et Lombardus vulgo Magister sententiarum vocatus *L. 2. D. 22.* & ibi Theologi Scholastici dicunt Evam simpliciter loquendo plus peccasse in Transgressione præcepti Divini quam Adamum, cujus Rei hanc inter alias rationem afferunt, quod Adam ipse peccavit victus amicabili quadam in Evam Benevolentiâ, quâ plerumque fit, ut offendatur Deus ne offendatur Amicus, quæ Verba sumpta ex Divo Augustino *n. 12. super Genes. C. ult.* & rursus idem Augustinus de ea Re loquens: *Noluit*, inquit, *contristari suas delicias, consensit in actum probibitum.* conf. Tiraqv. *de Pœn. temp. aut remitt. Caus. 22. n. 86.* Non tamen excludimus hic amicos qui consangvineis æquiparantur *l. cum. alienam C. de Lega:* Verique amici sunt vera anima in pluribus Corporibus ut dicit Aristot. *L. 9. Ethic.* confer. Barb. *in l. cum. acutissimi Col. 11. Vers. & si verbis daretur Audacia C. de Fideicom.*

§. 5. Quid jam de amore illicito sentiendum? Ille nec verus Amor dicendus est, cum non illius qui amatur, sed propriæ Voluptatis causa exerceatur. *Aliter Vicinus aliter Vicina amari solet. Nam illum amando illi, hanc amando nobis bona quærimus.* Hobbes *de Hom. C. 12. §. 8.* *Quid erat quod me delectabat; nisi amare & amari, sed non tenebatur Modus, ab animo usque ad animum, quatenus est luminosus Limes amicitiæ, sed exhalabant nebulæ de limosa Concupiscentia Carnis & Scatebra Pubertatis, & obnubilabant atque obfuscabant Cor meum, ut non discerneretur Serenitas Dilectionis à Caligine Libidinis* August. *Confess. L. 11. C. 11.* Interim tamen ex Conniventiâ Legis illicito quoque amori effectus quidam adjudicantur, non ex approbatione actus illegitimi, sed ex ratione aliqua externâ *Scandali, Metus majoris Mali.* Infirmita-

mitatis verò argumentum ex Personæ aptitudine sæpe depromitur, quæ sc. in corporis mixtura considerari solet, Ætate, Sexu, Educatione, Circumstantiis actus. Nam & Pueri & Fœminæ & Crassi Ingenii Homines maleque educati, & justi injusti, liciti & illiciti Discrimina minus habent cognita, & in quibus bilis prævalet, iracundi sunt, in quibus Sangvis, ad Venerem proni, tum etiam huc juventus illuc Senectus propendet. Videtur itaque Factis turpibus Excusationis aliquid afferre natura, & Delictum efficere tolerabilius Grot. *de J. B. L. 2. C. 20. §. 21. n. 1. vid. Carpz. Prax. Crim. P. 3. Qv. 142. & seqq.* it. Jac. Menoch. *Arbitr. Jud. Qq. L. 2. Cas. 328. in l. seqq. Carpz. l. c. P. 2. Qu. 61. n. 58. seqq. Jul. Clar. sent. Lib. 5. §. fin. Qu. 60. n. 7.* Quo & referendum illud Tertulliani *Lib. 2. ad Uxorem: Non quanto grandis est Continentia carnis quæ viduitati ministrat, tanto si non sustineatur ignoscibile videri potest. Difficilium enim facilis est venia. Quantum autem habere in Domino perpetrabile est, uti nostræ Potestatis, tanto culpabilius est non observare quod possis.*

§. 6. Hæc ita de *Delictis pro Amico commissionis*; Delicta *approbationis* naturâ suâ ad Tituli istius rationem omnia trahi possunt. Sed eædem hîc observandæ veniunt Limitationes, quæ supra circa Delicta Commissionis notatæ fuerunt. Si enim destinata & contra Conscientiæ Stimulum exsurgat voluntas approbandi in aliquo, pari quis cum delinquente afficiendus est Pœnâ. Quæ causa est *cur sæpe pro populo Regem, sæpe pro Rege Populum à DEO affligi* asseratur, nimirum quod alter alterius Delictis tacitè applaudat, *Gramond. L. 4. Historiar. p. 262. in 8vo.* Adeoque nec Populus Israëliticus à DEO punitus *2. Sam.* 24. innocens planè fuit, utpote qui Silentio fa-

ctum

ctum Davidis probaverat *Grot. in Not. add. l. n. 16. p. 264.* Imprimis verò hæc approbandi Licentia culpanda est in illis, quos Officii Necessitas ad puniendum destinavit. Ita Patris Lenitas maximè punita notatur in Eli Sacerdote 1. *Sam. 2.* Et Judex non puniendo dum approbat, ipse deliquisse, ejusdemque Delicti Reus esse, creditur *l. Nulli 3. C. Ne Sacrum Baptismum iteretur. Tiraqu. in Præfat. n. 9.* Interim tamen & his peccatis multum Conniventiæ ex Jure Externo indulgeri videbitur inferius, quod ex observato circumstantiarum respectu facilius dignosci poterit. Ipsaque Delicta jam Ordine examinemus, quænam pro Amico perpetrata Mitigationem pœnæ mereantur.

MATERIA SPECIALIS DE

DELICTIS PRO AMICO.

§. 1. Apostasiam in favorem Principis, Patris, Conjugis committere nemo potest. §. 2. An perjurium liberandi Amici causa mitigationem pœnæ mereatur. §. 3. An crimen pro Amico in Principem commissum in casu si Amicus à Principe invasus fuerit. §. 4. Quid si Amicus criminis veri sit reus, an eum prodere, revelare crimen, condemnatum eripere, bannitum recipere liceat? §. 5. An id ad omnia delicta extendi possit. §. 6. Quid de Adulterio

ob commodum Reipublicæ, ob liberationem Mariti. §. 7. An in stupris, quæ ex nimio in Juvenem amore illi concessa sunt à Puellis. Quid in osculo ex nimio amore virgini impresso. §. 8. An Amor præsumptionem matrimonii introducit. §. 9. Quid de homicidio Amici caussa perpetrato? Aff. §. 10. Imprimis si adsit parendi necessitas. §. 11. An raptor liberetur à pœna, si ipse blanditiis puellæ persvasus fuerit. §. 12. An furta pro Amico mitigationem pœnæ mereantur. §. 13. Conclusio.

§. 1.

PRimum & inter Crimina gravissimum reputatur Læsæ Majestatis Divinæ: Quod licet in omni Legis Transgressione committatur, habet tamen suos gradus, ut jam directè jam indirectè in Opprobrium Dei vergat. Ad *directa* in Deum Peccata referendus est *Contemptus Dei ac Divinæ Veritatis*, quam si quis agnoverit, non potest eandem sine Detrimento æternæ Salutis rejicere. Quæritur jam *an in favorem amici eandem rejicere & sic Crimen apostasiæ committere liceat.* Resp. Neg. (I) Actus enim Religionis non est in potestate nostra positus, adeoque nec intra Necessitatis Casum comprehendi poterit, quia Deus est amandus sine ulla boni externi ratione, cum sit summum Bonum, adeoque amori nostri præferendus. *Oportet enim supertransire omnem Creaturam, & se ipsum perfectum*

fectum deserere, ac in excessu Mentis stare, & videre Deum omnium Creatorem nihil simile habere. Besoldus *Axiom. 38.* Multo magis Amori reliquarum Creaturarum, quæ in Deo & per Deum id sunt quod sunt, & sine eo nihil sunt *Voët. Volum. 3. Diss. de am. Dei* §. 2. (II) adest voluntatis Divinæ sine Exceptione rigor. *Matth. 10. 33.* (III) Juris quoque Canonici & Civilis jura in id graviter invehuntur *tot. Tit. X. de Apostatis & Baptism. Reiter. & l. 3. C. de Apostatis.* (IV) Imo & ad juris Gentium violationem refertur violata Religio *l. 4.* §. *1. C. de Heret. & Manich.* Itaque nullo casu eadem à confessore Christi mutari potest, adeò ut nec justus Metus sufficiat. Cajetan. 2. *Qu. 93. art. 1.* Eymerich in Directorio Inquisitorum *L. 2. Qu. 41. 18. & qu. 49. n. 5.* Umbertus Locat. in *judicial. inquisit. in Verbo Apostata. n. 2.* Quam Sententiam amplectuntur omnes nostrates Theologi, quanquam ex Pontificiis nonnulli contrarium statuant vid. *Farin. de Heresi. Qu. 183. n. 23.* Nec. *Metus Reverentialis* ad favorem Principis Domini vel Patris acquirendum hic sufficit, ob præferendum Dei Amorem, adeò ut & à Pœna Civili immunis quis non sit Farinac. *ibid. n. 27.* Multo minus quis in Amorem alterius æqualis v. c. fœminæ Apostasiam committere poterit: sunt enim hæ leves & temeræ causæ, propter quas quis injustè abnegat Deum tanquam Rem majoris Momenti. Decian. *in Tract. Crim. L. 5. C. 73. n. 15.* Abbas. *in Cons. 95. L. 1.* Cardin. Tusch. *in Pract. Conclus. Lit. M. Concl. 429. n. 9.* Farin. *d. l. n. 101. & seq.* Peccasse itaque Salomonem quod in gratiam Mulierum verum abnegaverit Deum, innuit sacer Textus 1. *Reg. 2. v.* 3. 4. 5. 6. Nec admittenda est Oldrai JCti opinio *Cons. 210. Col. 2.* qui aliquem quodammodo excusat tanquam furiosum, qui ut quadam

Muliere potiretur, quam deperditè adamabat, magnas Imagines ad eam Rem, ut ipſe putabat, accommodatas conſecrat, Dæmonesque invocarat, quod graviſſimum eſt delictum ut not. *in C. 2. X. de Sortil.* citatque Teſtimonium Ariſtotelis, qui Ethicor. *L. 7. C. 2.* notat, quod venereorum appetitus nonnullos in furorem atque inſaniam adegerint.

§. 2. Proxime huc accedit Abuſus Nominis Divini in *Perjurio*, ad quod ex affectione Amicitiæ quandoque induci Hominem notavit Panormitan. *in c. Repelluntur. in n. 2. not. de accuſat.* Sed jam an Mitigationem Pœnæ mereatur, Quæſtio eſt? Videtur non poſſe concedi ideò, quod Delictum hoc directè Divinam lædat Majeſtatem. *Omne n. jusjurandum in Diras deſinit ſi quis pejeraverit.* Gentilis Plutarchi eſt ſententia in *Quæſt. Rom.* multo magis Chriſtiano homini ſcitu neceſſaria, propter Divinæ voluntatis Legem in ſecundo præcepto expreſſam. Grot. *L. 2. C. 13. th. 10.* Verum ſubtilius hæc Interprete Grotio eruenda ſunt. In omni juramento attendenda ſunt (1) Materia ſ. verba ſonantia & (2) animus jurandi rationis compos & deliberatus, qui ſi deſit, nulla inerit Verbis obligatio, & peccatur hic tantum propter abuſum Nominis Divini, non propter non ſervatam Obligationem quæ nulla eſt. Grot. *d. l.* §. 2. & 3. quod in caſu, ſi quis Latroni quid juratò promiſerit, eluceſcit, ubi tunc juramenti nullus eſt effectus propter deficiens jus exigendi in latrone, atque adeò ratione Rei, de quâ juratur, juramenti & perjurii vis attendi debet, cum juramentum tantum ſit obligationis acceſſorium. Exinde orta eſt Ddrum Practica: *Perjurium reputari gravius & levius ex graviori & leviori cauſa.* Nam gravius eſt pejerare ex cauſa Inimicitiæ, ut

aliquem

aliquem offendat, quam si pejeraret, ut quis se vel amicum à Pœna liberet. Decian. *in tract. Crim. l. 6. c. 7. n. 13.* Farinac. *de Falsit. & simul. qu. 160. n. 24. ad 27.* Maran. *in specul. Part. 6. Membr. 7. Rubr. de interrog. n. 7.* Girland. *in Tract. de Relaxat. Carcer. Rub. de Fuga in carc. num. 7.* Ratio consistit in Exsuperantia amoris erga Amicum, quam in magnis quoque Ingeniis Intellectus imbecillitas comitari solet. Ita Moses optabat se potius erasum ex Libro vitæ, quam ut fratres sui salute excluderentur *Exod.* 32. *v.* 32. Id quod Verulamius *Ecstasin Charitatis & impotens boni communis desiderium appellat.* Infirmitas verò illa animi ideò mitiorem meretur Pœnam, si in nullius tendat detrimentum, sed tantum ad salutem Amici. Nec obstat cum Deo negotium geri, etsi Personæ jus deficiat *l. 2. pr. ff. de Pollicit.* Grot. *l. 2. c. 13. th. 15. n. 2.* R. Præter id, quod etiam Dei judicio relinquenda sit perjurii istius ultio. Bart. *in l. si duo Patroni §. fin. ff. de jurejur.* Phanuc. *de in Litem jurando c. fin. in princ.* Deum quoque multis infirmitatibus indulsisse, quas facile sacrificiis expiari voluit, notat *Lev. 4. & 5.* conf. Grot. *l. 3. c. 20. th. 26.* præsertim illis, quæ non, ut dictum, ad Læsionem alterius, sed conservationem sui suorumque tendere solent. Huc trahenda est ratio rupti juramenti, quô Saul Mortis Pœnam Transgressoribus Legis, de non capiendô ante reportatam ab Hostibus vindictam Cibo decreverat, & tamen Populus Jonathanem Neci destinatum Rigori Legis exemerat 1. *Sam.* 14. *v.* 45. Aliam explicationem non iniquam *vid. in Martyr. in Comm. ad d. l.*

§. 3. Sequitur Crimen in Principem vel Rempublicam commissum, quod æque ac Antecedens nullam Delictis pro Amico concedere videtur Mitigationem Pœ-

næ, ob Universaliorem causam, quæ Salutem Principis saluti Privatorum præponit, etiamsi Princeps vel Respubl. alicui injuriam intulerit. Rex est, inquit Seneca, *si nocentem punit, cede justitiæ, si innocentem, cede fortunæ. L. 1. de Ira. c. 30.* Anton. Matth. *ad L. 48. ff. Tit. 5. c. 3 n. 6.* Major enim Turpitudo oritur ex hoc facto quam lucelli amico collati valor sit. Hinc rectè Cic. *Turpis est*, inquit, *Excusatio & minimè accipienda, cùm in cæteris Peccatis tùm si quis contra Remp. se Amici causa fecisse fateatur.* Et paulò post: *Talis*, ait, *improborum Consensio non modo Excusatione amicitiæ togenda non est sed potius omni supplicio vindicanda.* conf. Tiraqv. *d. Tr. Caus. 22. n. 88.* Interim tamen aliquando Mitigationi Locum dari posse credimus, in casu violentæ à Principe factæ Invasionis, in continenti etiam cum Internecione Invasoris repulsæ, cum, si naturam solam respicimus, multo apud eam Minor est Societatis, adeoque Principis qui illam repræsentat, Respectus, quam propriæ, Salutis cura, Grot. *l. 2. c. 1. th. 4.* Ideoque Moralium Ddres Casum illum defendentis se ipsum cum Internecione Principis Invasoris, ita exprimunt; *Id quidem Peccato non vacare, attamen in crimen læsæ Majestatis Defensori verti non posse; dicitur itaque excusabiliter fecisse h. e. gradu Delicti Minori, quippe extremis angustiis vitæ sine causa circumseptus. vid. Lin. Doct. Mor. D. Becman. C. 9. th. 11.* Derivabitur itaque eadem Defensionis Ratio in Amicos imprimis illos, qui pro una reputantur Persona ut Pater & filius, Maritus & Uxor, Dominus & servus. Tiraq. *Caus. 24. n. 4. & Caus. 34.* si forte contigerit Defensionis cum Internecione Invasoris Principis exercere jura. Sed hæc caute accipienda erunt, cum Princeps justitiæ in factis suis habeat præsumptionem,

nem, adeoque caſum injuſtæ Invaſionis, in Principe vix dari dicendum erit.

§. 4. Hæc ita qualemcunque Excuſationis ſpeciem habere videbantur, adeoque non ſunt extendenda eo, ſi expreſſe de juſtitia Reip. vel Principis conſtet. Tunc enim ſi Pater vel Filius à Republica vel Principe condemnatus ſit ad Pœnam v. c. Proſcriptus, non licebit ipſi vindictæ cauſa Patriam armis impetere, cum Patriæ magis ſit parendum quam Patri diverſa Imperanti. *l. 35. ff. de Relig. & ſumpt. fun. l. 19. §. 7. ff. de Capt. & l. 1. §. 15. ff. de ventre in Poſſ. Mitt.* Non obſt. *Nov. 12. C. 2. & Nov. 115. C. 3.* ubi dicitur, Pater etiamſi ſit impius, Pater tamen eſt; Id enim Limitationem accipit in crimine in Patriam commiſſo, id quod fusè jam ex rationibus Juris N. & Gentium deduxerunt Grot. *l. 2. c. 18. n. 4.* Farin. *Qu. 120. n. 186.* Menoch. *A. Qu. Caſ. 90. n. 43.* & *L. 2. C. 396.* Anton. Matth. *ad L. 48. Tit. 18. C. ult. n. 21.* Non deſunt tamen & hic quædam mitigandi cauſæ, in caſu approbati & non revelati Criminis læſæ Majeſt. Sic filius Patrem Proditorem, & contra, ſi non accuſaverit, non punitur, propter Amoris mutui Teneritudinem, quæ non patitur Delationem Criminis ad morti tradendum Patrem vel filium arg. *l. Milites. §. Deſertorem. ff. de Re Milit. & l. Qui cum uno. §. Qui Filium ſuum. ff. eod.* Oſcaſc. *Deciſ. Pedemont. 80. n. 9. 10. 11.* Petrus à Placha *in Epitom. Delict. c. 38. n. 5.* Anton. Gabr. *Concl. ult. n. 6. L. 7.* Hinc in judiciis obſervatum fuiſſe docent Ddres, quod ſi Pater Filium vel contra Criminis etiam læſæ accuſaſſent, lenius tunc Perſonam Ream puniendam eſſe crediderint Qua de Re exempla retulerunt Cœpolla *Tr. Caut. c. 1.* & Hyppol. de Marſ. *in l. inauditum Col. 2. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Tiraqv. *d. l. c. 18. & 19.*

id

id quod etiam extenditur ad Conjuges, quorum alter alterius Crimen non revelando, liberatur à Pœna ob fidei Conjugalis rationem. Oſcaſc. *Deciſ. Pedemont. 80. num. 11.* Farinac. *L. 1. Tit. 5. Quæſt. 51. num. 81.* Decian. *L. 7. cap. 34.*

§. 5. Obtinebit autem Deciſionis iſtius argumentum etiam in aliis criminibus, quorum Rei ſi à cognatis non prodantur aut occultentur, aut etiam Banniti jam receptentur, quod tunc ex Amoris & affectionis ſenſu & propter Abſentiam Doli Mitigationem Pœnæ mereantur *l. 2. ff. de Receptator.* Menoch. *L. 2. A. Qu. Caſ. 348. n. 7.* Fab. *in l. 1. C. de his quæ Latron.* adeoque ignoſcendum etiam iis credunt, qui Conſilium pro tuendis vel liberandis è Carcere cognatis capiunt aut præbent *l. 21. ff. de Adulteriis.* Gail. *L. 2. de Pace Publ. c. 10. n. 16.* Carpz. *in Pract. Crim. qu. 134. n. 48.* atque ex hoc titulo Statuum Belgicorum Benignitatem experta fuit Uxor Grotii, quem illa ex carcere aſtuto Conſilio liberaverat. vid. Editor. *Epiſt. Grotii ad Gallos Præf. in fin.* ipſeque Grotius cauſæ forte ſuæ patrocinari videtur, dum *Generoſi animi eſſe, inquit, ignoſcere, etiam poſt aliquid injuriæ acceptum. L. 3. C. 19. th. 19. num. 4.* Dn. Becman. *Diſſ. de Exſuper. Obſequ. C. 2. theſ. 4.*

§. 6. Adulterium jam conſiderandum veniet, *an boni alicujus obtinendi cauſa* v. c. *in favorem Reip. in ſalutem amici alicujus concedi poſſit?* Reſp. Neg. Actus enim Stupri vel Adulterii non eſt in poteſtate noſtra poſitus, adeoque nullo Neceſſitatis caſu comprehenſus; hinc peccare Rempubl. certum eſt, quæ Virgines ſtupro Hoſtili extradit, qua de Re Exemplum notatur in Mauris, qui Amicitiæ conſervandæ ergo Aurelio Hiſpaniarum Regi

aliquot

aliquot Virgines quotannis ſtupro tradidere. *Mariana l. 7.* Nec ineſt juſtitia Deciſioni illi, quâ aſſeritur *Bonum eſſe cum Uxore Tyranni adulterari* ad expiſcanda ejus Secreta, cujus Rei non abſimile exemplum edidit Phædima Ottanis filia, quæ, cum inter Pellices Regias eſſet, Pſeudoſchmerdin prodiderat, attrectando dormientis Caput, cui aures utrasque jam à Cambyſe præciſas, deeſſe adverterat. vid. *Pezel. Melliſ. Hiſt. P. 1. C. 1. p. 24.* Peccat etiam fœmina quæ conſenſu Mariti Corpus ſuum illius conſervandi vel liberandi cauſa exponit. (1) Pugnat enim contra ſpem boni Viri, quæ nec in extremis quidem patitur mali moralis metum cum præſenti periculo comparari. (2) Idem latam feneſtram aperit cuivis obtentui adulteriorum & illegitimorum amplexuum. Nec (3) Conſenſus Mariti Uxorem liberare poteſt, veluti enim omnia jura ſua privativè non cumulativè ſibi invicem contulerunt conjuges, ita nec facultatem de juribus ſuis acceptis diſpenſandi habent. Nec (4) Amor Conjugalis & Defectus Libidinis in numerum venire poteſt. Nemo enim alterum plus amare tenetur quam ſemet ipſum (5) in ipſo hoc actu Metus Libidinis acceſſuræ præſentiſſimus eſt, voluntario periculo peccandi Ergo talis fœmina ſe ſubjicit. Et memorabile ejus Rei refertur Exemplum de Acindino, qui cum à Debitore fiſci libram auri peteret, remiſſurum ſe illam ſpoſpondit, ſi uxor in concubitum conſenſerit. Tum illa quoad ſe, non habere ſui Corporis poteſtatem, ſed virum ſuum, pertulit ad eum dicens, paratam ſe eſſe pro Marito id facere, ſi tamen ipſe Conjugalis Corporis Dominus, cui toti illa caſtitas deberetur, tanquam de Re ſua pro vita ſua vellet id fieri: Egit ille gratias & ut id fieret, imperavit, nullô modô judicans Adulterium eſſe Concu-

 bitum.

bitum, quod & Libido nulla & magna Mariti Charitas sese jubente & volente flagitaret. Hæc ex Excell. Becm. *Differt. de Exsuper. Obs. c. 2.* relata exposuimus. Propius ad scopum nostrum conducet Qu. *an Mitigatio Pœnæ ex ratione juris externi concedi possit?* Communiter Ddres mitigandam esse Reo Pœnam statuunt, ob Exitum Criminis magno cum Reip. vel alterius Commodo conjunctum *arg. l. 2. §. postea de O. I.* Anton. Matth. *ad l. 48. Tit. 18. C. ult. n. 21.* Farin. *qu. 89. n. 174.* imprimis si animus simul adsit promovendi amici Commoda, non verò lædendi alterius jura. Tiraqv. *Caus. 52.* Id tamen ad Casum illum extendi nequit, quo in casu Sterilitatis à parte Mariti Uxor ex Consensu Mariti in adulterium consentit, ex intentione hæredis certi designandi, ad excludendum reliquos agnatos, jus enim iis hâc ratione per defectum legitime proximorum aufertur quæsitum: *tot. Tit. Unde Legitimi 7. Unde Cognati 8. de Successorio Edicto 9. de Gradibus & affinitatibus & Nominibus eorum 10. & tot. Tit. ff. Quis Ordo in rerum success. servatur 15. L. 38.* Causam verò Mitigationis supra jam posuimus, in illis Delictis quæ in Salutem, non verò in Detrimentum alterius vergunt.

§. 7. Circa *Stupri* materiam, eadem videtur esse Decisionis ratio, adeoque juris interni & externi argumenta ex antecedentibus petenda erunt. Specialior verò jam hic exsurgit Quæstio, *An pro Mitigatione Pœnæ conducat allegare stupratæ, se ex intensissimo amore consensisse in concubitum stupratoris?* Negativæ ratio in Prooemio jam deducta fuit, plenioremque rationem suppeditat Grotius, quod Delicta, quæ ex Voluptatis Desiderio fiunt, non admittant excusationem Grot. *L. 2. C. 20. th. 21.*

n. 1.

num. 1. Tiraqv. verò ex eo quod amor & Affectio furori æquiparetur, Mitigationem largitur *Cauf. 4.* variisque rationis iftius nexum probat argumentis à Virgilio fuppeditatis v. c.

Uritur infelix Dido totaque vagatur
Urbe furens

imprimis verò Mulieribus patrocinatur Bald. *in l. Precibus Col. 6. C. de Impuber. & aliis Subft.* ex eo quod affectum amoris intra debitos Limites carcerare non fit Muliebre fed Philofophicum. Conf. Franc. Curt. *Conf. 67.* Idem quoque Juvenibus Beneficium adjudicat Oldrad. *Conf. 210.* Lepidumque hanc in Rem allegat Exemplum Tiraqv. *d. l.* ex Valer. Max. *L. 5. Memorab. C. 1.* de Pififtrato Athenienfium Tyranno, nam cum adolefcens quispiam amore Virginis ejus filiæ accenfus, in publico obviam fibi factam ofculatus effet, hortante Uxore, ut ab eo Capitale fupplicium fumeret, refpondit, fi eos qui nos amant interficiamus, quid his faciemus quibus odio fumus? Subditque Valerius, maximè dignam vocem effe, cui adjiciatur, eam ex Tyranniore de humanitate manaffe. Et ex eadem ratione juvenem præ nimio amore puellam exofculantem, mitius puniendum effe ftatuit Borcholt. *de Feud. c. 8. n. 101.* Conf. Dn. Stryck. *Tract. de Jure Senfuum diff. 7. de Tactu illicito 5. n. 13.*

§. 8. Verum Indulgentia hæc Delicto ifti propter amoris tanquam furoris caufam conceffa, amplam nimis peccandi Licentiæ pandere videtur portam, cum quivis amoris caufam hoc in Negotio allegare poffit. Caute itaque Judici procedendum erit, ne vani amoris excufatio illico admittatur. Interim externi alicujus mali majoris ratio infuper Delicto huic patrocinari videtur, præfum-

ptionem introducendo pro animo Matrimonii. Itaque si Virgo vel Fœmina, non ex quæstu aliquo Meretricio sed ex intensissimo amore, in quem blanditiis Stupratoris pertracta est, Cognitionem sui admittat, Stupratorem obligat ad Matrimonium cum ipsa contrahendum, nec sufficit à Stupratore allegari, *se non animo Matrimonii sed Stupri committendi illam cognovisse*. Turpitudinem enim propriam alleganti credendum non est. *l. 24. ff. de Ritu Nupt.* Dn. Brunn. *in Comm. ff. ad d. l. n. 4.* Ipsa enim Cognitio Puellæ est actus Matrimonialis, adeoque præsumptionem animi Matrimonium contrahere volentis inducit. Sanchetz. *de Matrimon. l. 4. dec. 12. num. 6.* Forst. *de Success. l. 4. c. 8. n. 17.* Cœphalus *l. 4. Cons. 593. num. 8. 9. & seq.*

§. 9. *Homicidia* per se Jure N. G. & C. prohibita esse, extra Controversiam est, adeoque ad Scopum Dissertationis procedendum erit; *An pro Amici Utilitate commissa aliquando Excusationem mereantur?* Affirmat id JCtus Paulus *l. 5. Sententiarum Tit. 23.* Juncta *l. 8. §. 2. & seq. ff. Quod Metus causa.* quod vitam aut pudorem sui vel Amici attentatum *tali facinore* recte h. e. impune defendere liceat. Less. *l. 2. c. 9. dub. 12. n. 76.* Soto *l. 5. Qu. 1. art. 8.* Sylv. *in Verbo Homicidium 3. qu. 4. l. 4.* Impunè additum fuit: non enim datur Jus illicò occidendi talia attentantem, præcipuè Stupratorem, cum in Virgine stuprata nec vitæ nec famæ periculum sit, propter deficiens Delicti formale, Consensum sc. Dn. Becm. *L. D. Mor. c. 9. th. 11. p. 157.* Seldenus *de J. N. & G. Sect. Discipl. Hebr. l. 4. c. 3.* Molin. *Tom. 4. Tract. 3. Disp. 17. n. 10.* Effectum itaque Juris habet impunitas ista, si Pater, vel Frater, vel Conjux, vel Filius, vel alius cognatus, intentatam suorum Vitæ

vel

vel Pudicitiæ vim videns eandem cum internecione invasoris arceat vel vindicet per *d. l. 8. §. ult. ff. quod Metus Caus.* coll. *cum l.* 21. 22. 23. 24. 34. *ff. ad L. Jul. de Adult. Nov.* 117. *c.* 15. Metu enim illo & justo dolore Parentes in Liberis & Liberi in Parentibus, Uxor in Marito, hic in illa terrentur magis quam in se ipsis, propter intensam illam amoris Teneritudinem. Menoch. *L. 6. Præs.* 57. *num.* 7. *& Cons.* 1. *n.* 275. Fagundez. *de J. & J. L.* 1. *C.* 5. *n.* 5. Bachov. *ad h. t. ff. Quod Metus Caus. c. 1. in fin.* Id quod etiam eo extendunt Ddres, ut gradibus Dilectionis observatis, filium à pœna ordinaria immunem pronuntient, qui Matrem Patris ulciscendi causa necavisset. Tiraqv. *d. Tract. Caus. 1. num. 19.*

§ 10. Maxime verò delicta hæc ex amore derivata Mitigationem Pœnæ promerentur, *si parendi Necessitas* simul accedat. Qui enim jussu Superioris, Patris, Principis, Domini, aliquid facit, non videtur Dolo malo facere, quia parere necesse habet *l. 167. ff. de Reg. J. l. 7. §. 4. ff. de Jurisdict. l. 7. §. 2. ff. de Minor. l. 8. ff. de Lege Commiss.* Ita Chrysostom. de Carnifice: *Multi sæpe Magistratuum ob injustas Cædes accusati, Pœnas dederunt. At Carnifices, qui cædi Ministerium, qui manuum operam præbuere, nemo in Jus vocaverit, imo de iis ne quæsierit quidem, excusat enim eos Necessitas ex Dignitate jubentis, & ex parentis Timore.* De Milite Augustin. *Ergo Vir justus si forte sub Rege, etiam Sacrilego militet, rectè potest, illo jubente, bellare. Si civicæ Pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certus est, vel utrum sit, certus non est: Ita ut fortasse Reum faciat Iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Et alibi: *Miles cum obediens Potestati,*

testati, sub quâ legitime constitutus est, Hominem occidit, nulla reitatus suæ Lege Reus est Homicidii, imo nisi fecerit, reus est Imperii deserti atq; contempti. Quod si suâ sponte fecisset, in Crimen effusi Sangvinis humani incidisset. Itaque unde punitur si fecerit injussus, inde punitur, si non fecerit jussus. Conf. Grot. *L.* 2. *c.* 23 §. 13. *Sil. in Verbo Bellum* 1. *n.* 9. *Concl. Castr. in L.* 5. *D. de Inst.* Soto *L.* 5. *Qu.* 1. *art.* 7. & *qu.* 3. *art.* 3. Vict. *de jure Bell. n.* 32. Grot. *l.* 2. *c.* 26. *th.* 4. Tiraqv. *Caus.* 34. & 35.

§. 11. Succedit *Vis consideranda*, quæ Jure Civili & Canonico severioribus Pœnis interdicta est, præsertim si in liberum hominem committatur. An *v. hic Amor Amici Excusationis causam præbeat*, videndum erit in *causa Raptoris Puellam rapientis.* Regulariter quidem raptor non excusatur, licet ex intensissimo amore, & animo contrahendi Matrimonium Puellam rapiat, propter violationem publicæ Securitatis *l. un. C. de Raptu Virgin. s. Viduar.* Molin. *de J. & J. tr.* 3. *th.* 105. *n.* 23. Sanchetz. *de Matrim. l.* 7. *th.* 12. 17. Masc. *Concl.* 1260. *n.* 20. Decian. *l.* 8. *c.* 6. licet rapta consenserit in raptum. Clarus *in* §. *Raptus n.* 3. Azo *in Summa de Raptu Virginum n.* 1. Marsil. *Cons.* 61. *n.* 3. 14. & *seq.* Masc. *de Probat. L.* 3. *Concl.* 1253. *n.* 26. Hoc tamen rectè limitat Farinac. si voluntas raptæ extorta sit Blanditiis, Persvasionibus, promissionibus *Tr. de Delictis Carnis. Qu.* 145. *tit.* 16. *n.* 110. Secus si nulla præcedente dolosa Persvasione fœmina sponte consentiat; magisque tunc ex *ratione Delicti pro Amico* excusatur, si ipsa fœmina Raptorem Precibus & Blanditiis ad illud Crimen adegisset, ut auferatur. Farin. *d. l. n.* 131. & *seq.*

§. 12. Circa *Furti* materiam jam videndum, *an illis quoque Mitigationem Pœnæ adjudicet Amor pro Amico*

ad